25. 29 636

ECHO ANAGRAMMATICA

Elbingæ reciprocata:

Cùm

NOMINE AUGUSTISSIMO

MICHAELIS THOMÆ KORYBUTI

DUCIS WISNIOWECII

In Tabernaculo Electorali Warsaviensi auspicatissimâ Voce pronunciato;

IDEM

SERENISSIMUS AC POTENTISSIMUS PRINCEPS

REX POLONIÆ

Eligeretur.

ELBINGÆ

Typis Hæredum CORELLII, *Anno* M. DC. LXIX.

AD

SERENISSIMUM & POTENTISSIMUM

PRINCIPEM

MICHAELEM THOMAM,

Poloniarum REGEM:

ANgelicum spondes Nobis, *REX INCLUTE, Vultum*:
Ceu geris *Angelicô Nomine* dulce Decus.
Quin & *Apostolicam* promittis Pectore *Mentem*:
Sicut *Apostolicô Nomine* Clarus ovas.

MICHAEL THOMAS CORYBUTUS
DUX VISNIOVECIUS.
Anagramma.

Sidus Vivax, à Cœlis ortum, Nobis huc emicuit.

ELVCIDATIO.

SArmaticum caligo tenax involverat Orbem;
Furvaq; Regalem ſepſerat Umbra Thronum.
Pruſſia flebilibus ſtabat demerſa tenebris,
Optans Exortum SOLIS ab Axe novum.
Annuit innubis votis poſcentibus Æther:
Diffugiunt piceô nubila denſa Polo.
Emicuit Vivax, à Cœlis deſuper *Ortum*,
SIDUS, & huc Nobis irradiando micat.
Ætheriô rutilat DUX WISNIOWECIUS Aſtrô,
Et Solii nitidâ luce ſerenat ebur.
REGIA FAX pariter noſtræ ſub mœnibus Vrbis
Propitiô lætum ventilat igne Jubar.
Vita fugit SOLEM: Vitæ REX munere gaudet:
SIC POTIUS PHOEBÔ SARMATA SIDUS HABET.

MICHAEL THOMAS CORIBVTH DUX WISNIOVECIVS.

Anagramma.

O! Jovis Avis huc, huc ibit ad excelsum Thronum.

Elucidatio.

Quæstio Varsavicis proponitur Ardua Campis:
VERTICE SUBLIMI QUIS DIADEMA GERET?
NATIO disparibus meditans contraria Votis
Spem præter tales edit amica sonos:
Scindimur incassum studiis: REX LECHICUS esto,
His *AQUILIS AQUILÆ* Qui superaddet *AUEM*.
Huc JOVIS ALES eat, REGISq; receptet honorem;
Tendat ad excelsos Hæc Avis Una Thronos.
Hæc *CORYBUTORUM* decorant Insignia Gentem;
Ergò novus Lechis REX CORYBUTUS eris.
Quanta *Tua* est *VOLUCRIS* populoso Gloria Regno!
Et *Regni* *VOLUCRIS* Gloria quanta TIBI!

III.
MICHAEL THOMAS CORIEBVTVS
Dux VISNIOVECIVS.
Anagramma.

JO! Jo! DEUS, REX & CIVIS accumulat Bonum Suis.

Elucidatio.

IN Lechicum Fortuna Solum si ferbuit æstu:
Fulmina si rapidis est jaculata minis:
Marspiter horrifico si subruit omnia motu;
Si fuit innumeris Terra subacta malis:
Nunc bene, nunc gravibus liceat sperare POLONIS:
Triplice Connexu Sarmata faustus aget.
Magnanimæ Superûm ridet Clementia Genti:
Dextra CORYBUTI Regia Sceptra capit.
Quin etiam Cives, & Nobilis Incola Regni
Lechiades certant accumulare Bonis.
Vos *DEUS*: atq; novus Vos *REX*: Vos *CIVIS* opimat:
Sic Cornu triplici Copia fundit opes.
Est celebris Charitum fœcundô Copula fructu:
Amplior hic, Nexu sospite, Fructus erit.

IV.

MICHAEL THOMAS CORIEBVTVS DVX WISNIOVECIVS.

Anagramma.

Hoc ſummo Duce Jus in Roſa: ac Lex ſub Vite vivit.

Elucidatio.

OMnia gaudebant Saturni tempore Regis
Felici, Cœlô ſic moderante ſtatu.
Fertilis incultis de ſentibus Uva pependit:
Sudavit dulces quercus opima favos.
Non ſibi nunc reduces afflicta POLONIA menſes
Spondeat; &, priſco quod fuit Orbe, decus?
Aurea promittit *MICHAEL REX* ſecla POLONIS:
Induet Hic veteri proſperitate Lares.
Hoc Duce Jus patula tutum *ſub Vite* valebit;
Pæſtanas vincet *LEX* ſtabilita *Roſas*.
Me Spes ampla tenet: Remeat felicior Ætas:
Nil præter *Vites* jam loquor, atq; *Roſas*.

V.

MICHAEL THOMAS CORIBVTVS
Dux VISNIOVECIUS.

Anagramma.

O! Arx es Civi: Scutum Subditi: Laus omni Voce.

Elucidatio.

HAut desunt validæ Lechicis in Finibus *Arces*:
Incluta *Scutigeris* nec caret Ora Viris.
Ecquid *Russorum Camenecô* firmius exstat?
Quem *Mariæburgi* saxea Claustra latent?
Non tamen hæc poterunt Regnum Castella tueri:
REX centum Muris fortior Unus erit.
Hinc Tibi, quæ Numen lectô benefacta rependat
REGE CORYBUTO, Terra Polona, vides.
ARX erit *IS CIVI: Scutumq́;* Fidelibus Ingens:
LAUS erit, & Populi Gloria celsa sui.

VI.

MICHAEL THOMAS CORIEBUT DUX VISNIEOVECIUS.

Anagramma.

Oculô miti REX videbis? Amat Hicce Unus Oves.

Elucidatio.

Munere *Pastorum* REGIS spectatur Imago:
Et Gens lanigeras subdita pingit *Oves.*
Dux Ovium veluti torretur amore bidentum,
Provida quas Oculô cura sagace tegit.
Regius incolumem Populum sic protegit *ARGUS*,
*S*ubjectumq; favens ardet amando gregem.
DUX igitur *CORYBUTUS* obit dum Munia REGIS;
STIRPSq; JAGELLONIS Postera frena tenet;
Ne dubita; *miti* Nos est tuiturus *Ocellô:*
REX AMAT, UT PASTOR: NOS SUMUS EJUS OVES.